omnibus quibus usus sum supra; multa putant propter
consequentiam sermonis dicta aduersum nineuen. de qua
et supra. et per id et assyrium et ponet nineuen in solitudinem;
Sed numquam scriptura nineuen columbam uocaret. licet in hie
remia a facie gladii columbe de nabuchodonosor quidam dictum
putent; Sed sciendum quod alii e contrario adserant pro
columba ibi posse intellegi. ΕΛΛΑΔΑ. id est graeciam; ut
sit sensus. a facie gladii iona. id est a facie gladii grae
cie; Iona enim tam columbam quam graeciam sonat. unde usque
hodie greci iones. et mare appellatur ionium. et apud
ebreos permanet eorum uetus uocabulum; Sed et principes
per romam apud barbaras nationes antiquum uocabu
lum retinentes cesares appellantur; Omnis itaque con
tra hierusalem sermo est. Ve ciuitas quondam colum
ba semper peccans. et captiuitatibus tradita. et rursum
redempta a domino; ve ciuitas prouocatrix. quod significanti
us ebraice dicitur. mara id est. ΠΑΡΑΠΙΚΡΑΙ
ΝΟΥΣΑ quod nos possumus dicere. dominum amarum faciens; id est.
tuo uicio dulcem dominum atque clementem. uertens in amaritu
dinem. ut qui misereri uult. punire cogatur; non au
diuit preceptum domini. et corrupta noluit suscipere disci
plinam; nec permittentibus malis aliquando confisa est
in domino deo suo; nec ambulauit post tergum eius. nec
dicente eo. ego dominus adpropinquans et non de longe.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 123, p. p.%20222 – Hieronymus, Commentarii in Ionam, Naum, Sophoniam, Aggaeum (http://www.e-codices.ch/en/csg/0123/p.%20222)